

tibus latini splendoris ornamenta relinquunt flexanima. Vide-  
 mus enim, quomodo dicendo coetus hominum tenere, mentes  
 allicere, voluntates, quocunq; saltem velint, impellere, ac omni-  
 um sensibus, mentibusq; suos summam cum gravitate ac jucundi-  
 tate sermones accommodare valeant; non secus ac pictores, rem  
 alias jejunam, incomptam. & illuvie squalidam coloribus suis  
 venustissimis politioem ac limatiorem reddunt. Sic etiam rem  
 vilissimam Oratores, sermonis ac elegantiae coloribus exorna-  
 tam, audientium auribus mirificam cum jucunditate repraesentan-  
 tes, non modò summam orationi gratiam dicendo, sed & de eâ  
 scribendo, immortalitatem largiuntur, ita ut mentibus homi-  
 num nihil jucundius, nihil dulcius, nihil admirabilius accidere  
 possit. Ut ut autem hanc Eloquentiae Venere nihil jucundius,  
 nihil suavius, nihil admirabilius censeatur, hanc vice tamen ne-  
 quaquam animum inducere possum, ut vestigia eorum celebra-  
 rima incurrens, leporis ubertatem consecter, siquidem potius  
 de fine, quàm de pomposo ac supercilioso verborum decore me  
 sollicitum esse ratio postulat. Postulat autem? imò flagitat. Nam  
 ut Solem adversum intueri nequimus, sed ex ejus radiis longe  
 lateq; dispersis, quanta sit ejus amplitudo, quàm immensum lu-  
 men, intelligere facile possumus; ita, quavis in fulgentissimis  
 illis virtutibus, quæ in D. Lutheri altissimâ divinâq; mente ver-  
 satæ fuerunt, mentis oculos defigere nequeam, tamen ex maxi-  
 mis ejus actionibus & rebus præclarissime gestis, quanta sint,  
 quamq; immensa, me aliquo modo declarare posse non diffido.  
 Non ita tamen ut omnes ejus gloriosas actiones enumerem sin-  
 gulas, sed ut eâ quæ tum ipsius encomio maximo, tum etiam  
 huic tempori inserviunt, rudi penicillo persequar. Noster itaq;  
 Theologorum Phosphorus Anno Millesimo, Quadringentesi-  
 mo, Octogesimo Tertio, quò B. martyr Hieronymus Savanorola  
 igni combustus erat, ex optimis & honestissimis Parentibus, &  
 quidem Parente, vocato Johanne Luthero, Viro in metallicis re-  
 bus experientissimo, simul ac matre castissimâ nomine Margare-  
 thâ Islebn sub amplissimo Generosissimi Comitis Mansfelden-  
 sis

*Natalis*

*Parentes*

*lis*